



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**AntiLutherus Judoci Clichtouei Neoportuensis. Doctoris
Theologi, Academiae Parrhisie[n]sis**

Clicthove, Josse

[Köln], 1525

VD16 C 4189

Ob multitudinem præuaticantiu[m] indicta ieiunia, non esse tollendum
ecclesiae de ieiunijs seruandis præceptum XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36183

mulgata: quoniā ante id tempus, nomē legis iure uendicare nō potest. Neq; patres ecclesiastici hanc postea cōstituentes abstinentiā ciborū: aut Christo aut Paulo fuerunt aduersi atq; repugnantes. Nā diuersis tēporibus: diuersa immo interdū contraria, expedit fieri decreta. & quod uno tempore cōcessum est: cōgruit interdum alio tēpore prohiberi. perinde atq; medici: hīsdem morbis subinde adhibēt diuersa, quin immo interdū opposita medicamēta. diuerso quoq; tēpore eidē ægroto sed aliter affecto: sæpe diuersa ministrāt antidota, ne utiquā à suę artis p̄ceptis aberrātes. Demū quod intrat in os (ut ait dñs noster) nō coinquinat hominē: sed cōcupiscētia gulæ illicitis ad cibū uetitū & inobedientia in ecclesiā, coinquinat mentē. Qui igitur tempore quadragesimali aut extra quadragesimā feria sexta, uesceret carnibus p̄ter necessitatē: nō eū contaminaret sumptæ carnes, sed p̄uaticatio p̄cepti ecclesiastici.

Matthe. 15.

Ob multitudinē p̄uicantiū indicta ieiunia: nō esse tollēdū ecclesiæ de ieiunijs seruandis p̄ceptum. Cap. XXII.



Vicesima aduersariorū obiectio. Complures est inuenire, soluentes ieiunia ecclesiastico p̄cepto instituta: ut quadragesimæ ieiunium, aut quatuor temporum, aut uigiliarum, solenniores dies festos p̄cedētium. Rari quippe offendūtur (quod uel maxime est indolendum) qui ad unguem hęc ieiunia & integre obseruēt: ad quæ tamen ex instituto ecclesiæ obligantur. Et ita in laqueum damnationis dispendiumq; salutis plurimorum: est ea constitutio ieiunij obligatoria. Quoniam nisi datum esset illud p̄ceptum: non ieiunantes illis diebus, peccatum non incurrerēt. posito uero & promulgato eo p̄cepto: qui negligunt ieiunij obseruantiam, efficiuntur rei & p̄uaticatores habentur. Satius esset igitur hęc p̄ceptionem a deo rigidam sustollere: & cuiq; liberam relinquere optionem ieiunandi uel non obseruandi ieiunium, ad quod exercendum: non p̄ceptum constitui, sed exhortatio potius nō obligatoria fieri debuit, quæ longe citius hominum animos sibi deuincire: quā rigor p̄cepti. Responsio. Non est illa constitutio ieiuniorum ecclesiasticorum cuiq; in laqueum aut ruinā sua p̄te natura: quin poti⁹ in adiumentū cōsequēdæ salutis, obtinendæque diuinæ gratiæ, quam uberius assequitur: qui animam suam il-

LIBER PRIMVS

lo salutari antidoto expiat & expurgat. Sola uero iniquitas homi-
nū, in desideria carnis explenda propensior: in causa est interitū &
detrimenti proprię salutis. quod impellat hominem in præuatica-
tionē tam salutiferi & utilis præcepti: ex rationabili legitimāq; cau-
sa constituti, ut eo remedio expientur peccata, uirtutes augeant &
carnis petulantia reprimat. Non debet itaq; iactura salutis, quam
incurrit negligens ieiuniorū obseruationem, imputari legi ecclesia-
sticę de illis latę: sed eorū qui ipsam uiolant, iniquitati & malitię.
Neq; idcirco abroganda est ea lex ieiuniorū: aut rescindenda: quod
multi (ut obiectant aduersarij) eam transgrediunt. Quoniam si re-
cte fuerit lata aliqua lex, cuius obseruatio est salutatis & commo-
da reipublicę: non debet illa refigi aut rescindi propter multitudi-
nem præuicantiū ipsam, aut paucitatem obseruantium eandē. q̄
Hieronym⁹. teste Hieronymo: multitudo peccantium non præstat cuiquam pec-
candi patrociniū. quinimmo etsi nulli legem illam legitime institū-
tam obseruarent: nihilo secius ipsa, & recta est & equa. quod suam
non sumat rectitudinem ex multitudine exequentium illā: sed ex re-
cta institutione & causā legitima, ob quā ipsa primū fuit lata. & ita
ob raritatem custodientium illam in sua integritate: nihil illa perdit
roboris, & uigoris, & efficacię. Alioqui iam olim illud dei præce-
ptū de fugiēda mœchia, itidem & furto: esset eua cuatū & abolitū,
quoniam multi semper fuerunt & adhuc sunt illius præuicatio-
res, mœchi & fures. At uero quemadmodū ex numerosa multi-
tudine eorū qui furtū aut fornicationem committunt: nequaquā pro-
be quis collegerit abrogandū esse domini præceptū. non mœcha-
beris, & non furtū facies. Haud aliter ex eorū qui soluunt legē ec-
clesiasticorū ieiuniorū abundantiore numero: neutiq; apte cōficiās
Exodi 20. huiusmodi legem esse tollēdā aut abrogādā. ¶ Vicesima prima
III. ac postrema obiectio. Multi diuitū lautius & splendidius epulāt,
plurib⁹q; ferculis instructā habent mensam diebus ad esum pisciū
designatis: q̄ ijs dieb⁹ in quibus datū est uesci carnibus. Maiore iti-
dē impendio apparant dieb⁹ ieiuniorū apud multos cōuiuia plusq;
infumitur pecunię ad instruendā delicatis cibis mensam: quā alijs
dieb⁹ ad ieiunia nō determinatis, in quibus seruatur impēsare me-
diocritas & ciborū moderatior usus. Plurib⁹ uero pauperes qm̄ ino-
pia pressi cōparare non ualent pisces, quando illi in cibum sunt de-
finitis.

finiti: noxio alunē nutrimento et incidunt in aduersam ualitudinē, quibus modicæ carnes facile ad esum suppetent et salutem. Occurrunt interdū et alij, qui ob indictū ieiuniū et aliquantisper seruatiū laborant debilitate stomachi: non ualentes ingestū una manducatione cibū concoquere, quem gemina sumptū refectione, meridie & uesperis, facile concoxissent. Alijs uero ieiuniū ingerit morbos, aut ob cerebri exhausti imbecillitatem adimit somnū nocturnū: & alia permulta infert impedimenta sanitatis. Ad quæ deuitanda, potius deberet esus pisciū & ieiuniorū obseruatio relinqui cuiusq; arbitrio, & solū consulti: non autem institui præcepto obligatorio, & cū seueria adiectione pœnæ. ¶ **Responsio.** Hi sunt sibi serpens antiqui, quibus suū instillat occulte uenenū cordibus hominū: ut abducat eos ab usu māducationis pisciū rationabiliter introducto ad salutarem abstinentiam, & ab obseruatione ieiuniorū per ecclesiam institutorū ad corporis castigationem ac emacerationē. Et mihi certe est, nostra tempestate inuentos esse aliquos: huius diabolicae suasionis præcones, celebres quidem doctrina in ore hominū: sed ea abutentes in perniciem animarū. Qui ut habenas laxaret uoluptatib⁹, uiuendūq; secundū carnem & sanguinem suaderent: scriptis suis in lucem prolatis contenderunt & sacerdotibus esse permittēda connubia, & non interdiciendū Christianis unq; usum carniū, nec indicenda sub præcepto ieiunia. Quos sane habendos cenfuerim ut publicos ecclesiæ hostes, inimicos crucis Christi, Epicuri de grege porcos grunientes, & euangelicæ legis subuersores. quæ quæq; docet abnegare seipsum & tollere crucem suam ac sequi Christum: non ambulare secundum carnē, nec ire post suas concupiscentias. ¶ Sed ut horū cauillationibus occurramus: tribuendum quidē ipsi est, nonnullas contingere particulariū hominū exorbitationes & prolapsiones ab integritate Christiana, tam in usu pisciū quā in recta ieiuniorū obseruatione. Verū hæ non arguūt aut perperam factas esse illas cōstitutiones ab ecclesia, aut eas esse abrogandas: sed duntaxat huiusmodi abusus esse castigandos, emendandos, & sustollendos, & leges ipsas rectas: in sua incolumitate permittēdas. Quēadmodū ob cōmestrationes, ludos & uana spectacula quæ dieb⁹ dñicis & festis plæruncq; fiunt à uulgo: non sumit effi-
Matth. 16.
V.

LIBER PRIMVS

quæ ab honesto, sincero & pio religionis cultu declinant: per eos
 VI. qui auctoritate ualent, esse emendanda. ¶ De pauperib⁹ uero quæ
 afferunt aduersarij: non conuincit aut pmittendū quolibet tēpo-
 re esum carniū, aut non esse precipienda ieiunia. Nepe nullus tāta
 premitur paupertate, quin diebus illis quibus usus carniū est inter-
 dictus: inueniat sibi salubre alimentū & sufficiens, aut lac, aut oua
 aut butyrū, aut caseū: & maiore quidē facilitate, illa quàm carnes
 comparat. Quod si quis aut morbo laboret, aut facto periculo co-
 gnouerit pnciosum suæ sanitati esse ieiuniū (quod tamē plerūq;
 salutem corporis conseruat potius: sicut & gula eandem lædit &
 labefactat) ostendat se suo sacerdoti, patefaciatq; suam imbecillita-
 tem: & accipiat ab ipso facultatē consulendi suæ sanitati. Siquidem
 suis legib⁹ ecclesia extinguere uitia, illorūq; materiā succidere labo-
 rat: non naturam ipsam lædere. Est enim ipsa, pientissima mater:
 filios suos saluare uolens non perdere, geminina itidem malorū cō-
 uellere enitens: non sarcinam imponere naturæ, cui succūbat, de-
 niq; antidota & medicamēta contra peccata componere laborās:
 non naturæ grauamina aut sanitatis iacturā ingerere. Idcirco eos
 qui sine suæ naturæ aut sanitatis detrimento non possent ecclesia-
 sticis legib⁹ uti, quantū ad esum pisciū aut ieiunia: ut necessitate a-
 dactos (quæ nulli astringitur legi) declarat ecclesia non obligatos
 esse nec deuinctos suis obseruationibus. mō sacerdotis ad hoc con-
 stituti iudicio aut aperta rei experientia, cōperta fuerit huiusmodi
 infirmitas aut ugens necessitas: eximēs hominē ab obstrictiōe ta-
 liū sanctionū. ¶ Ceterū qm̄ hi p̄dicatores uoluptatis, ieiuniorūq; &
 VII. pisciū ofores: sanctas ecclesiæ cōstitutiones de abstinentiā carniū
 certis hebdomadē dieb⁹, uertunt in ludibriū, sermoneq; ludicrum,
 dicentes huiusmodi abstinentiā quæ feria sexta & sabbato cuiusq;
 fit hebdomadē: primū ex particulari aliquorū deuotione exordiū
 cepisse, deinde eā irrepsisse in plures: serpendo paulatim. & tandē
 transisse ex uoluntaria aliquorū obseruatione in totā multitudinē,
 auctoritate præcepti: ad talē obseruandā abstinentiā, in omnes ge-
 neratim constituti. Et proinde periclitari dicunt etiā quartā feriā:
 ne hoc modo, exēplo sabbati indicat & huic in uniuersum abstine-
 tia à carnibus: ex peculiari nonnullorum ritu et more desumpta.
 Quinimmo et ubi feria quarta in hunc ordinem abstinentiæ fue-
 rit re-

rit redactatū et feriæ secundæ dicunt esse metuendū, ne simili exemplo ex singulari aliquorū obseruatione, etiam et in hanc traducatur consuetudinem, immo et præcepti necessitatem: quod et in ea abstinendū sit à carnibus. Et hoc pacto contendunt hi indulgentes carni et sanguini, ecclesiam sanctam in hac constitutione abstinentiæ à carnibus, aliquot hebdomadæ diebus: paulatim esse progressam à laxiore uiuendi ratione & modo ad strictiorem, pedetentim lento usu introductā. Idcirco ad obstruenda ora ipsorū loquētium iniqua: ostendendū hic esset diffusius (si locus ipse amplam pateretur illius materiæ pertractationem) circa prisca illa tempora surgentis ecclesiæ, fuisse olim constitutam in certis illis diebus abstinentiā à carnibus: immo & ieiunij obseruandi præceptionem, in omnes generatim latā. deinde eā sensim fuisse oppositū usum laxatā: & abrogatā. ut potius transferret ipse populus Christianus, quantū ad hoc negociū, ab arctiore uiuendi ratione, ad laxiorē & indulgentiorem uictū. ¶ Siquidē antiquo illo ecclesiæ sanctæ tempore: iudicū fuisse sabbato cuiusq; hebdomadæ ieiunij legim⁹, de consecratione, distinctione tertia, cap. sabbato uero. ubi ait Innocentius papa. Sabbato uero ieiunandū esse: ratio euentissima demonstrat. Nā si diē dominicam ob uenerabilē resurrectionē domini nostri Iesu Christi non solū in pascha celebramus: ueq; etiā per singulas hebdomadas, ipsius diē imaginem frequētamus, ac sicut sexta feria propter passionem domini ieiunamus: sabbatū prætermittere non debemus, quoniā intra tristitiā & lætitiā temporis illius: uidetur inclusum. Et reliqua illius capitis: in eandē sententiā cōsequētia texuntur. Ex quib⁹ p̄spicū euadit, quondam in ecclesia fuisse consuetudinē pariter & constitutionem obseruandi ieiunij: singulo quoque die sabbati. quam & tempore beati Augustini: Romæ obseruatam fuisse, manifeste conuincit eiusdem scriptū ad Ianuariū: quod refertur duodecima distinctione. cap. illa autem. ubi de uenerabili matre sua Monica narrationem contexit. Atqui hoc nostro seculo & hac tēpestate non obligamur ex more ecclesiastico aut p̄cepto: ad sabbati ieiunij singula quaq; hebdomada obseruandū. Quare laxior est & minor nūc abstinētię rigor, circa diē sabbati tenendus: quā prisca fuerit temporibus seruari solitus. Quod & de feria quarta, immo & sexta: promptū fuerit ex canonicatū sanctionū

VIII.

Innocentius.

Augustinus.

Monica.

tionū

LIBER PRIMVS

Leo quartus

tionū regulis ostendere. Siquidē de consecratione distinctione tertia, cap. de esu. Leo papa quartus hoc traditur cōstituisse decretum. De esu carniū apud nos uetustissima & nō improbāda traditio semper est tenēda: ut à cenā termino quæ sit in principio noctis quartæ feriæ quæ lucescit in quarta feria, usq; in diluculū quintæ feriæ, & similiter à cenā noctis sextæ feriæ quæ lucescit in sexta feria: nō imperite ieiunatio sit tenenda usq; ad sabbati lucē. & quantum de diei parte aliq; ieiunare maluerit uel debuerit: p̄cedat. Hæc ibi. Ex quibus liquidum est: circa prisca ipsius ecclesiæ tempora, ieiunium quartæ & sextæ feriæ cuiusq; hebdomadæ, una cum abstinentia ab esu carniū in supra dictis diebus: fuisse in usu moreq; probato apud populum Christianum. quod & ex cap. ieiunia sane, de cōsecratione distinctione tertia rursus patescit aptius, ubi & ratio exprimitur: ob quā utriusq; illoꝝ dierum fuerint p̄cepta ieiunia. quia scilicet quarta feria, Iudas traditionē domini cogitauit: sexta autē feria, crucifixus est saluator. Nunc autē feria sexta tantū interdictus est esus carniū: nō autem indictum ieiuniū. Feria uero quarta: neq; prohibitus est esus carniū, neq; p̄ceptum ieiunium. Videmus igitur manifeste: ecclesiam ipsam in duorū p̄dictorum dierum uictu & abstinentia, p̄gressam esse ab arctitudine ad solutiorem laxitatem.

¶ Quæ nā sit uera libertas Christiana & euāgelica: quā sibi asciscere debent omnes atq; comparare. Cap. XXIII.

Ecc. 13.



Riecta quidē in superiorib; huiuslibri locis est multifariā libertas illa Christiana: quā p̄dicat Luther; cum asseclis & astipulatoribus suis, inquinatis ab astra pice quam tetigerūt. Quæ sane libertas (ut sæpius ante diximus: nec repetere piget) effrenis est uiuendi cōditio: sine lege, sine regula, sine freno ecclesiasticarū cōstitutionū: ut ferme quicquid libuerit, liceat. Et ergo secūdū ueritatē, libertas nō est: sed durissima seruitus, sub tyrānide carnis & peccati. Dissolutæ itidem sunt obiectiones eorū: qui hanc Lutherana libertatē magno molimine tutari laborāt. Et si quæ aliæ forte super sunt in eam rem cauillationes: per hæc unius & uiginti dilutiones supra diffuse positas, haud magno negotio dissolui cōsimiliter possunt. Nūc itaq; paucis ostēdamus oportet: quæ nā sit uera libertas Christiana